



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita  
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

**Druzbicki, Kaspar**

**Coloniæ, 1721**

Dies V. De instrumentis ac mediis solidæ virtutis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

D I E S V.

*De instrumentis ac mediis solida atque solidanda virtutis. 1. Amore usūque Orationis. 2. Amore, curâ, usu gratia Dei. 3. Amore & imitatione Christi ac Beatissima Virginis.*

CONSIDERATIO XIII.

*Virtus solidatur amore, usu, frequentia Orationis.*



Am occasiones virtutis solidæ consideravimus: sequitur, ut ejusdem instrumenta & media, quibus paretur, quibusve solidetur, & denique quibus utatur ipsa, consideremus.

Atque primo loco ponimus considerandam orationem, meditationem, contemplationem: sive illa sit vocalis, sive mentalis; sive illa sit longior sive brevior; sive illa sit cum affectu ex discursibus præviis nato, sive sit parca in discursibus, sed more comtemplativorum, delectabili & gustativo intuitu, Deo & Dei bonis fruatur, purificetur, similitior Deo evadat. Hanc orationem dicimus esse instrumentum singulare, aptissimumque medium Virtutis solidæ, & etiam solidandæ: sed ita, si ametur famelicè, si ejus labor, (qui non levis est) vincatur & devoretur strenuè, si denique frequentetur, quoad hæc vita patitur, assiduè.

G

Igitur



Igitur qui virtutem solidam habet, aut habere vult, Orationem amet & frequentet. In usu enim crebro Orationis sic solidatur virtus, ut sub igne, incude, & malleo ferrum. Nesciunt vulgò homines pretium & efficaciam & necessitatem orationis; sed &, si qui illud nòrunt, speculativè id magis quàm practicè; cognitione, non efficacitate. Quòd si etiam reperiantur aliquantum multi, qui usum orationis ament, & re ipsà habeant; sunt tamen paucissimi, qui ejus laborem devorent, ac in eo perseverent.

Quid de Oratione sentiendum sit amatoribus solidæ virtutis, explico his Capitibus.

1. est: Oratio debet obstinatè amari & exerceri, nec ullo modo aut negligi, aut negligenter confici, aut de tempore in tempus transferri, aut ejus tempora decurtari, aut ad eam animo non famelico, sed veluti ad rem usitatam, & non planè summè necessariam accedi. Tam obstinatè debet amari oratio, quàm obstinatè illam exigit Deus & præcipit Christus, quàm obstinatè illà indiget inexhausta nostræ ad omnia insufficientiæ abyssus. Hæc qui considerabit, orationis usum etiam laboriosissimum non refugiet, immo verò hac inter alias ad orandum præparatione utetur, ut oraturus, famem desideriumque in se orandi excuset.

2. est: Quandoque potes, ora: potes diù? diù ora: potes breviter? breviter ora: potes dormiendo? etiam dormiendo ora: (sed non orando dormi) omni tempore aut benefac aut ora, sic implebis illud:

illud:



illud: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.*  
Lucæ 18. 1.

3. Plus sunt amandæ ( quia plus proficiunt ) Ora-  
tiones quæ Illuminant, quæ ex reflexione super  
præsentem quotidianamque vitam fiunt; quæ in-  
tellectu convicto, etiam voluntatem sequæ com-  
pellunt, & proponere agenda vel vitanda cogunt:  
quàm illæ, quæ in affectibus ut plurimum sunt po-  
sitæ; & luminis, veritatisque convincentis nihil in  
intellectu relinquunt, quo deinceps anima regatur.  
Quare qui per orationem virtutem solidam quærit,  
ita oret, ut in oratione suâ se sibi quotidie ob oculos  
ponat; defectus suos, profectus suos inspiciat; occa-  
siones, loca, tempora, personas, causas lapsuum  
suorum intueatur; atque individua & circumstan-  
tiis circumscripta proposita; tam vitandorum de-  
fectuum, quàm exercendarum virtutum faciat;  
facta, Deo, & gratiæ Dei auxilianti, Sanctorumque  
suffragiis commendet, & efficaciam petat. Quanta  
hinc ad animam bona sequantur, expertus sciet  
optimè. Ea propter quodcunque vitium ex tua cu-  
pies anima evulsum, illud modo prædicto oratione  
quotidiana impugna; quamcunque virtutem voles  
in corde tuo plantatam, & citò adultam, illam  
hoc ipso modo inter orandum cordi insere, donec  
radices mittat, donec ramos & folia & fructus fe-  
rat, hoc est, donec tibi familiaris, facilis & suavis  
evadat.

4. Oratione plerique duriciem capitis, & intra-  
stabilitatem voluntatis, morumque contrahunt.  
Quo ex fundamento S. Patriarcha noster dicere so-



litus fertur : ex 100. habentibus spiritum orationis, 99. esse vel solere esse illusos. Videas certè non rarè istos orationistas, quidquid inter orandum senserint vehementiùs à se apprehendi, id jam instinctum Spiritûs Sancti, jam Dei manifestatam sibi voluntatem credere, nec ab eâ persuasione etiam autoritate obedientiæ se avocari sinere. Inde obstinantur, indurantur, illuduntur; prædictiones & prophetias tentant & referunt; ac quamvis falsi fuisse convincantur, id aut non credunt, aut excusant, nihilominusque pergunt. Hoc tamen non orationis vitium est, sed orantium, qui sine humilitate orant & non orant ut mendici apud Deum, sed ut amici & secretarii cum Deo loquuntur; non indigentia ac humilitatis affectu ad orationem procedunt, sed ex dignatione quadam, (quam illi caritatem putant) & præsumptione occulta, & quodam magnificandi sui, per orationis usum & crebritatem longitudinemque, studio. unde etiam mirantur se ob orationem; & spiritum orationis magnificant in se, seque per illum: quo fit, ut inflentur oratione; & ab oratione surgant superbi, jactabundi; de voluntate Dei, etiam quoad contingenter futura, certi; atque ita duri & obfirmati, ut verè à S. Patre dicti sint illusi, & verè ad sese detorquere valeant illud Psalmi: *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.* Psal: 115. 11. Hi enim in excessu suo verè mendaces sunt, & excessu suo in mendacia præcipitantur. Quod malum non evenit ab oratione, humilibus & verâ caritate in Deum præditis, verè indigentiarum suarum infinitarumque

que



que miseriarum gnaris, & ex ea causa tam pro se, quam pro aliis Deum deprecantibus. Oratio enim est filia notitiæ suæ & notitiæ Dei, abjectionis suæ & æstimationis Dei, diffidentiae suæ, & fiducia in Deum.

§. Orationum ejaculatoriarum, seu ignitarum & vehementium in Deum aspirationum brevissimo tempore peragendarum, usus nunquam satis laudabitur à spiritualibus viris; utinam ita nunquam negligatur! Experientia docet, sæpe nos unâ alterâve ejaculatoriâ, in Deum efficacius rapi, & penitus Deum penetrare ab eoque penetrari, quam totius horæ Oratione. Hic porro unum vellem expositum & consideratum, duplices esse ejaculatorias. Quædam sunt meri tantum, affectus nostri in Deum, indices; vel si quid aliud in sui materia continent, tamen qui eas ejaculatur, affectui tantum soli suo, non autem etiam sensui, materiæ intellectui indulget: quod genus ejaculationum summè laudo & commendo; sed illud tamen aliud genus amplius probo (quia utilius existimo, saltem incipientibus & proficientibus) quo non tantum affectus ejaculamur nudos, solùmque affectum ignescere facimus, sed etiam quo proposita nostræ voluntatis vel dictamina nostri intellectus, detestationes individuorum vitiorum, vel actus virtutum individuos, brevissimè, & ad infigendas cordi nostro virtutes habitusque earum radicandos utilissimè validissimèque, in Deum jaculamur. Ut, v. g. cum dicimus: *Domine, a meri tuo condono injuriam, quam mihi iste nunc (hodie, nuper,) intulit:*



lit: illūmq̄ ex corde amo, illūque hoc beneficium  
 prestare volo. Hoc actu & igneus in Deum affectus  
 promitur, & caritatis actus heroicus elicitur, &  
 individue occasio peccandi expugnatur, meriti  
 verò usurpatur, & actualis amor inimicorum fit,  
 & iterum actuale propositum benefaciendi male-  
 factori elicitur. Istud ergo ejaculatoriarum genus  
 urilius reor, saltem proficientibus & incipientibus,  
 quàm illud: Deus meus & omnia! ô ignis qui sem-  
 per ardes &c. Paratum cor meum Deus &c. O  
 Domine ego servus tuus &c. In talibus namque  
 vel solus affectus alitur, & is etiam solus prodest  
 animæ, Deoque placet; vel certè talium latitudo  
 & intellectus à paucis noscitur & rarò ab usurpan-  
 tibus penetratur aut intenditur. Igitur etsi omne  
 ejaculatoriarum genus ad solidam virtutem mul-  
 tum facit, posterius tamen genus longè amplius  
 eidem inservit; si non quàm solida, certè quatenus  
 solidanda est. Addo his, quòd *Si oportet semper  
 orare & nunquam deficere*, Luc. 18. 1. id certè  
 orationibus ejaculatoriis convenit quàm maxime  
 prestare. Unde omne tempus, omnis locus, om-  
 nis actio, omnis occasio, ipsa etiam cum homi-  
 nibus occupatio, talibus orationibus apta est, &  
 condiri debet. Suaferim tamen, ut perfectus ac  
 perfectionis amator, certis præterea temporibus  
 ac vicibus, certas ejaculatorias, (2 di generis præ-  
 fertim) singulos in dies exerceat, ejusque rei in  
 examinibus specialem à se rationem exigat. Sic  
 enim fiet, ut non solum ad se se & ad Deum redeat  
 à creaturis; non solum ignescat in Deum, sed etiam  
 actus



actus practicos virtutum exerceat; actibusque habitus in se perficiat, quibus perfectis virtutem solidam (quia perfectam) habeat. Quâ virtutes parandi ratione, nescio (post divinæ gratiæ auxilia) quid sit vel suavius, vel celerius, vel efficacius. Quam in re non verbis ago, sed ad experientiam remitto.

6. In vita spirituali nemo est, qui peculiaribus atque privatis non tangatur, feraturque desideriis [vel etiam prematur indigentis] sive certi vitii à se expellendi, certive peccati actus devitandi, sive certam virtutem vel gradum virtutis in animo suo radicandi, vel gratiæ alicujus, certæ à Deo obtinendæ &c. His desideriis in effectum deducendis, plerique inter alia & orationis præsidium adhibent, sæpè tamen parvo aut nimis tardo profectu. Qui hoc fiat, nihil attinet dicere in præsentia: hoc tantum propono, quod efficax puto, tum ut citò, tum ut suaviter, tum ut efficaciter desideriis potiamur prædictis; salvâ in omnibus Dei voluntate, quam supponimus, & credere debemus in prædictis desideriis nunquam nobis deesse; nec ab ejus repugnantia, sed à nostra inefficiâ illam raritatem & tarditatem provenire; neque esse culpam in oratione & aliis præsidiis, sed in nobis, qui utimur illis. Itaque si quis captus sit desiderio, v. g. plenæ Resignationis, atque cum Divina voluntate conformitatis, non solo & uno ejus sit desiderio contentus, sed laboret, ejus pretium, vim, naturam, latitudinem, efficaciam, occasiones, materias, actus cognoscere atque penetrare; laboret ejus intima æstimatione potiri; de ea le-



gat, loquatur, scribat, audiat; eam orationis suæ & longioris & brevioris materiam faciat; ejusdem ætus certo tempore, certo loco, certis occasionibus, certis vicibus, quæ internos, quæ externos eliciat; assignet huic labori non unam diem, vel orationem, seu meditationem, sed mensem, annum, plures, si opus est; singulisque diebus, inter alia Meditationis puncta & proposita, sit aliquantula factæ æstunatio, & desideratio resignationis, propositumque illius actuale, individuum, circumstantiis præsentibus cinctum. Singulis item diebus eandem crebrò à Deo petat proponendo, proponat petendo, v.g. Fiat Domine de me voluntas tua. Domine miserere mei, sicut scis & vis. Domine in te jactatio mea semper. Domine, quod vis, volo; quod non vis, nolo. Eadem Resignatio sit illi, in actionibus, ejus intentio. Ejusdem resignationis actus, desideria, proposita, unâ eademque serie repetitis vicibus, pro spiritûs & temporis sufficientia, eliciat decem, quinquaginta, centum, vel certè pro numero vulnerum Christi, gaudiorum dolorumve Beatæ Virginis, annorum Christi, annorum B. Virginis &c. neque opus est, ut ad id subtrahat occupationibus minora tempora; otiosa & vacua huic operi impendat. v.g. dum ex loco in locum vadit, dum alicubi expectat aliquid vel aliquem, tempus illud in repetitione actuum resignationis (vel eliciendo, vel proponendo, vel postulando, vel desiderando) terat. Huic vel soli industriæ, examen insuper adhibeat speciale. Audeo dicere, fieri non posse, ut non brevi tempore, is qui ita oraverit

verit



verit, & laboraverit pro Resignatione, eam assequatur & ejus fructu gaudeat. In quo etiam ad toties repetitam experientiam remitto.

7. Orationis maxima est commendatio ex his tribus. Primum est Alacritas indefessa, de qua supra fati. Secundum est reverentia, sine qua nemo, nemo prorsus oret, quia nemo neque in oratione, neque ex oratione fructum faciet. Hic affectus est humilitatis filius, dux ad caritatem & familiaritatem Dei & cum Deo; qui nisi quem eò deduxerit, is non tantum frustra, sed & periculosè laborat. qui scopulus multorum, ex nobis est, qui sæpè prius audemus intimè cum Deo agere, quàm didicimus reverenter. Multum est prius operæ in affectu reverentiæ ponendum ei, qui securè cum Deo amicitiam contrahere vult. Accedit deinde, quòd idem affectus sit fervoris spiritualis mater, devotionis quoque sensibilis & spiritualium consolationum origo. Qui semper cum Deo reverenter agit, nunquam tepescit, scriptum est enim: *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et causa est, quia reverentia ista miscetur vilificatione hominis, & exaltatione Dei, ex cognitione utriusque proveniente. Hæc autem ambo gratiam Dei & favores pelliciunt ad animam ex Deo, & eam in pace segura firmant; ex gratia & pace, fervor atque consolatio manat interior. Tertium est fiducia seu fides Dei [ut eam Christus Dominus vocat.] Quæ ideo dicitur fides Dei, quia credit Deum non tantum velle facere, quod petit aut orat Oratio, sed etiam credit, & quasi pro certo habet, quòd facturus sit omnino



Deus. Hæc fiducia inter difficiles virtutes est etiam una; orationi tamen necessaria prorsus, ut sine qua non constet Oratio. Porro fundatur hæc fiducia in resignatione & conformitate nostræ voluntatis cum divina, & quidem plenâ. Conformis enim voluntas nostra nihil potest velle, nisi quod vult Divina; & quidem etiam non ob aliud, nisi quia vult Divina: atque quod Divina vult voluntas fieri, infallibiliter fit; ideo etiam qui conformem cum Deo voluntatem habet, quando aliquid petit, tam certus est futuri quod petit, quam certus est conformare se suam voluntatem Deo, in eo quod petit, & quam certus est non posse non fieri id, quod voluntas Dei vult fieri. Ex hoc ergo fonte oritur fides ista, *montes etiam transferens, etiam solem sistens, etiam mare dividens, atque siccans, etiam mortuos suscitans quatrIduanos.* Joan. 11. 43. Tali fiducia solida virtus aliorum nititur, gaudet, grandescit, solidatur.

8. Orationis fructus & finis debet esse Actio; estque illa optima contemplatio, quæ incitat ad actionem, quæque dicit: *Egrediamur in agrum, videamus, si floruit vinea, &c.* tam privata, quam etiam aliena. Sublimitates, vehementiæ, inardescentiæ, lachrymæ, dulcedines, si veniunt, non respuantur, neque tamen quærantur. Mensura Orationis, perque illam solidationis in spiritu & virtute, est, ut dixi, actio, magis verò passio. Vide, quantum subordineris Deo, subdaris Prælato, adæqueris proximo, humilieris spiritu, conteraris corde, oderis & vincas te, asperneris creaturas, ordines vitam, regas



regas linguam, & affectus; gulam, & reliqua, quæ carnis sunt, nescias; amore tui honoris & libertatis careas; aliis prodesse, solus esse ames; Regulas & communem vitam serves; pati pro Deo defectum, despectum, dolorem quæras & gaudeas; ipsammet denique ad Orationem adspires & anheles. Quantum de his in te invenies, tantum te solidari per orationem in spiritu & virtute, nihil dubites.

Nec plura de Oratione propono, libri pleni sunt, & in promptu: considerationi hæc sufficient, in quâ quisque suam orandi consuetudinem examinet: & ubi bene dispexerit, non dubito, quin facile causam, ob quam tot orationum suarum modicos & nullos fructus in se persentiscat, inveniatur; quam inventam si emendatione tollet, tum vel facile, quantum sit ad solidam & solidandam virtutem instrumentum mediumque oratio, experimento fructuoso cognoscat.

## CONSIDERATIO XIV.

*Virtus solidatur amore, curâ, usu, gratiæ Dei.*



Inter instrumenta & Media solidæ virtutis atque solidandæ, ponimus 2do loco Gratia Divinæ amorem, curam, usum. Non immeritò. Nam si absque gratia Dei nihil fit boni, quantò magis absque eadem nihil fit perfecti,



cti? Si nihil sine illa inchoatur, quomodo sine illa solidatur & consummatur? Est ergo haud dubie gratia, virtutis & instrumentum & medium, immo si recte loqui & plene volumus, est etiam principium, est semen, est vita, est fundamentum, est complementum.

Gratia Dei alia est Actualis, alia Habitualis. Illa non sanctificat, sed ad sanctificationem vel vocat, vel ducit, vel adjuvat, vel accedit. Ista vero sanctificat, immo sanctificatio ipsa & sanctitas est. Sine illa ad istam non pervenitur, nec in ea perseveratur; sed tamen illa sine ista, vel nisi introducat istam, ad nihil, nisi ad cumulum poenae computatur. Utraque ergo amanda, magni aestimanda, quaerenda, conservanda, nutrienda est. Et habitualis quidem, ut perpetua sit & constans, & nunquam exulet (alioqui de vita animae actum est,) semper vero crescat in nobis. Actualis vero, ut frequens, ut congrua, opportuna, efficax, proportionata sit; illuminando intellectum, movendo & stimulando affectum, suaviter inducendo utrumque ad ipsum effectum: quia eius officium, docere, movere, delectare, & ante opus, & in opere, & post opus. Habitualementum volumus, habemus; imò quâ ratione habenda sit, infallibiliter novimus, si modò rationem illam usurpemus; Nec recedit à nobis nisi volentibus; nec auferitur nobis, nisi ejicientibus.

Actualis gratiae alia ratio est. Ima & praeveniens non cadit in meritum: cum enim gratia sit, gratis & non merenti datur; alioqui si merenti daretur, non  
gra-



gratìs daretur, non essetque gratia, sed debitum seu præmium. sed nec aliæ prorsus ad voluntatem nobis servantur: *Verùm spiritus, ubi vult, spirat; vocem ejus audis, & nescis quò vadit.* Joan. 3. 8. Omne tempus illius est, omnis locus, omnis occasio & actio, nulli tamen alligatur, nulli adstringitur; it & redit. Beatus qui vigilat, & paratus vel excipere venientem, vel occurrere venienti vel apprehendere atque retinere avolantem. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad occidentem, sic est iste spiritualis adventus Filii hominis.* Matth. 24. 27. sive gratiæ ipsius. proinde sapièssimè gratia ista priùs avolat, quàm cognoscitur adfuisse; quantis autem cum nostris damnis, hoc nescio, an cuiquam in hac vita cognoscere concessum sit.

Una aliquando Actualis gratia ( inspirationem vulgò dicimus ) ingentis est Messis seminarium : quæ si capiatur, & per consensum in exercitium actumque deducatur, totam illam messem hominis facit, eique possidendam tradit; si negligatur vel etiam rejiciatur, omni illâ gratiarum securarum messe anima necessariò caret. Quantum gratiarum & bonorum homo aliquis Religiosus in tota sua Religiosa vita ad mortem usque percipit! metiatur & numeret, qui potest: at omnis hæc gratiarum immensitas ex una gratia vocationis effluit; gratia vocationis autem quid tandem fuit? aliud nihil quàm gratia actualis, hoc est, unica cogitatio seu inspiratio menti intimata de sæculo deserendo. hæc congruè data, congruè etiam acceptata, totum  
hoc



hoc gratiarum Religiosarum mare peperit. Dedit-  
set Deus inspirationem, sed homo non acceptas-  
set, abjecisset vocationem; abjectione illâ omnem  
hanc Religiosarum gratiarum farraginem à se ex-  
clusisset, & quo tandem suo damno; quo pericu-  
lo? quo & quàm certo damnationis aternæ pri-  
mordio? qui sapit, intelligit. Ego dico, tales  
actuales gratias, multarum aliarum gratiarum ma-  
ximarum post se trahentes seriem, crebrò homini-  
bus offerri, sed simul crebrò ab hominibus Religio-  
sis negligi; an sine incredibile damno, judicent ipsi;  
sed vereor non judicabunt, quia perinde hanc ve-  
ritatem, atque Divinam inspirationem, nihili fa-  
ciendam judicabunt.

Quamvis autem istiusmodi inspirationibus gra-  
tiis que actualibus nulla lex præscribi potest, ne-  
que scire potest homo, quando venturæ sint; sunt  
tamen in Religioso statu (Religiosis loquimur &  
hæc proponimus) quidam actionum & occupa-  
tionum veluti niduli, in quibus hæ gratiæ quodam-  
modo commorantur, ita, ut si eos nidulos homo  
Religiosus tractet, & verset, & excutiat, idem illas  
actiones debite exerceat, reperturus sit in eis evo-  
lantes, an avolantes, gratiarum & inspirationum  
aviculas. Ejus generis sunt Sacramenta inprimis  
omnia quidem, & præcipue Pœnitentiæ & Eucha-  
ristiæ. Hæc si Religiosus Religiosâ præparatio-  
ne, usurpatione, consideratione, prout cuiusque  
natura fert, obeat, non est possibile, ut plurimas  
actuales gratias, plurimas inspirationes, ad hoc vi-  
tandum, ad illud curandum, ad illam virtutem,  
ad

ad



ad illam piam observationem stimulantibus non excutiat ex hisce nidulis. Quòd si neglectim Sacramenta obit, aut etiam non obit; si imparatus ad Confessionem, indevotus ad Communionem sacram accedit, quid mirum, si & gustu & devotione, & permotione cordis caret? Gratia Dei non contingit indignis: *Et qui sordescit, ei dicitur, ut sordescat adhuc.* Apoc. 22. 11. Et sanè ita fit. Nunquid enim tam crebris usibus Sacramentorum vita omnium nostrum ex æquo respondet? & cur non respondet? cur in antiquis hæremus imperfectionibus? culparum actibus? passionum pugnibus? cur? nempe dicitur de nobis: sordescat adhuc. Dicitur autem ideo, quia sordidâ præparatione atque dispositione ad Sacramenta accedimus.

Quod de Sacramentis dixi, dico idem & expendendum suadeo de sacrosancto Sacrificio, quæ est actio, omnium sub sole gravissima, gratissima, efficacissima, sed non, nisi dignè eam peragentibus. Dignè autem cum dico, omnem apparatus præparationis, celebrationis, gratiarum actionis post celebrationem includo. Nec amplius moror; unum rogo Religiosum Sacerdotem, ut si qua in actione sua vult & solet sibi permittere negligentiam, ea nè sit sacrificium missæ, nè sit Communio & Confessio Sacramentalis.

Subjungo Sacramentis Orationem, Lectionem spiritualem, colloquutionem spiritualem, reflexionem & examen conscientiæ; collectionem mentis, horariam, diurnam; menstruam, annuam &c. de hac



hac dico & inculco totum hoc, quod suprà attuli, His occupationibus alligatæ sunt, ut sic loquar, gratiæ actuales, Divinæque motiones. id adeò experientia probat, ut me explicare non sit opus; consideratio ipsa docebit, rem ita esse. Constat, eos qui debitè obeunt Meditationes, Lectiones, colloquia, examina, collectiones mentis, nunquam aut rarò desiderare instinctus divinos ad omnem perfectionem sibi congruam. Dum enim quis meditatatur, convertit se ad se, suos mores inspicit, probatos vel improbandos cognoscit, agnitos complectitur & in eis perseverat, si boni sunt: reprehendit & corrigere proponit si mali sunt. & hæc jam illuminatio est, hæc jam permotio est. Porro qui non meditatatur, vel aliud longè agit, quam meditatio poscit, is non se inspicit, consequenter sua errata non cognoscit, non agnita non corrigit; committere ergo pergit, insuescit; in eis roboratur, durus evadit, correctu difficilis vel impossibilis; ita & excæcatur intellectu, & induratur affectu, tandem ruit præceps in gravia, & privatur gratiâ, quandoque etiam punitur apostasiâ. Factitasset is diligentius Meditationem; evasisset omnem ruinam, & tenuisset perseverantiam.

Quod de oratione seu meditatione attuli, par est de reliquis iudicium formandum: sicut & de observatione Regularum, quibus eodem modo actuales gratiæ alligatæ sunt, ita ut si à Religioso servantur, prout debent, earum observatione, Religiosi mens vel illuminetur, vel illuminari metetur,

tur,



tur, illuminata verò proficiat. Si autem observatio negligatur, consequens est, ut etiam inspiratio divina amittatur, & ad recipiendum minùs idonea reddatur. Observatio siquidem voluntatis Dei, præcipuum est medium, ad cognoscendam voluntatem Dei. Unde Salvator ait: *Si quis voluerit, voluntatem eius (Patris) facere, cognoscet de doctrina mea, utrùm ex Deo sit.* Joan. 7. 17.

Ex quo etiam deduci ulteriùs potest, gratiarum actualium collationem à Deo præcipuè obtineri usu earum gratiarum: quod fit, quando homo mollem & tractabilem se exhibet inspirationibus divinis. quando eas observat, acceptat, fovet, in terram cordis sui boni seminat, per propositum & magis etiam per actuale exercitium in officium deducit. Hinc namque fit, ut gratia Dei, & verbum Christi non revertatur, ad authorem suum, vacuum, sed ferat fructum 30. 60. 100. & dicat servus fidelis Deo: *Domine, mna tua acquisivit 10. mnas,* Lucæ 19. 16. vicissimque audiat à Domino: *Euge serve bone & fidelis, esto potestatem habens super decem Civitates.* Inde gratia gratiam parat, imò (ut dixi) gratias catenatim post se trahit, incredibili cum fænore spiritûs, roboratione virtutis, incremento fervoris & avaritiæ spiritualis.

Quod totum quia absque reflexione mentis esse non potest, ideò spiritualis vitæ profectusq; avidis, nunquam satùs laudare possum vitam reflexivam: hæc enim est, quæ custodit vias Dñi venientis; hæc, quæ observat lucem gratiæ, & minimum quemque attactum cordis, ut aperiatur pulsanti, in tempore. Hæc est, quæ præsentem adesse cordi nuntiat; hæc

H

est,



est, quæ abire parantem non finit, sed detinet piissimâ violentiâ. Hæc est, quæ implet illud Dominicum frequens satîs præceptum: *Attendite, Vigilate, Videte.* omnibus istis reflexio occupatur & satisfacit. Reflexio igitur est infatigabiliter amanda & exercenda; citra tamen actuacionem nimiam, & capitis detrimentum. Prudentia docebit modum, ut scilicet homo ad se se certis temporibus redeat, & se suâque inspiciat: eadem faciet, ut semper homo sibi prælens sit, etiam tunc, cùm aliud aliquid agit; circumspectè ager, & enim non effusè, nec absorptè, sed veluti actioni suæ supereminendo; quod reflexioni satîs est.

Quia verò reflexionem maximè impedit multitudo, festinatio, moles actionum, itémque inordinatio tam temporum quàm occupationum; ideò solidæ virtutis amator, & gratiarum sectator, importunitatem occupationum, effusionem in eas cogitationum & internarum virium, perturbationem etiam passionum ( præcipuè cupiditatis & iræ ) inconstantiam quoque, incertitudinem, ac inordinationem negotiorum ac temporum vitabit diligentissimè. Quo fiet, ut perturbatè effusèq; nihil, omnia maturè, sedatè, circumspectè, reflexèque agat; suus & apud se sit, occupationibus supernatet; ad observanda interioris hominis negotia & eventa aptus, consequenter advertere & excipere venientes gratias hospites potens ac facilis semper inveniatur.

Hæc de amore, cutâ, usûque gratiarum actuallium considerâsse sufficet ei, qui hoc instrumento  
ad

ad



ad solidandas suas virtutes uti volet. De gratiæ habitualis curâ, cum non pauca ex dictis de actuali, serviant etiam amori & curæ habitualis, ideo pauca afferam.

1. Certum est, Gratiæ habitualis pretio nihil ex omnibus post Deum creatis bonis conferri posse, adeo ut minimum ejus bonum præstet aliis omnibus maximis; consequenterque minimum gratiæ istius lucrum & incrementum majus sit, majorique curâ, labore, sumptu quærendum, quam maximum augmentum aliorum quorumcunque: consequenter item amorem & curam hujus solius gratiæ augendæ & fovendæ debere esse majorem quam omnium aliorum bonorum parandorum post Deum: consequenter quoque hujus gratiæ amittendæ periculum plus formidandum & repellendum, quam aliud omne: consequenter adhuc damnum hujus gratiæ etiam minimum, quod per hoc crebro incurritur, quia non curatur, magis esse deplendum, magis avertendum, majorique curâ & studio faciendum, quam damnum ullius alterius rei, & opinione hominum maximæ. Et cum gratiæ istius parandæ atque augendæ tempus sit istius solius vitæ, quæ adeo volax & brevis est, cujusque tot partes sine fructu gratiæ ab initio usque huc perdidimus, & adhuc perdemus: concludat qui sapit, *quantit tempus æstimare, quam parcè tempore uti.* Sap. 4. 13. quam, in brevi, explere multa debeat satagere vir Religiosus; ut gratiam hanc, quam maximis, in esse augeat & accumulât, per omne momentum vitæ suæ, incrementis. Et nunquid ita de



gratia sentimus? aut ita pro illa augenda laboramus? sed præstat pergere.

2. Hæc gratia acquiritur in Sacramentis, fovetur etiam Sacramentis ac augetur, & Sacrificiis, quomodo, quàm efficaciter; non est hujus loci, quàm condignam exigat & sequatur præparationem atque usurpationem, dictum jam supra de actualibus gratiis.

3. Fovetur hæc gratia fugâ peccatorû omnium, etiam minimorum; observatione mandatorum, consiliorum, voluntatum seu placitorum Dei, etiam minimorum. Fovetur fervore charitatis, cujus incrementa sunt incrementa gratiæ; fovetur afflictionibus spontaneis, tam mentis per humiliationem & omnimodam resignationem, quàm corporis per discretam, assiduam mortificationem, per hilarem patientiam injuriarum & contemptuum, per contemptum actualem creaturarum, per zelum animarum: uno verbo, fovetur & augetur gratia per assiduitatem & frequentiam virtutum, per exercitium earum crebrum in heroico quovis gradu, per fidelitatem ad Deum in omnibus, per gratitudinem, per orationem, per vivam & jugem in omnibus JESU Christi passi, contempti, stulti, pauperis, obedientis, casti, crucifixi, imitationem, & denique per constantem in his omnibus perseverantiam. Satis de his. Quæ hic dicta sunt, in se unusquisque nostrum, quomodo se habeant, attendat; & quomodo deinceps virtutem in se solidare, per amorem, curam & usum gratiæ Dei debeat, cognoscat: idque quàm firmissimè effectum dare

dare



dare proponat, neque tantam æternorum bonorum messem, inter manus suas positam, sibi elabi patiatur.

## CONSIDERATIO XV.

*Virtus solidatur amore & imitatione tam  
JESU Christi, quàm B. Parentis  
Virginis MARIÆ.*



Quantò certius est, & apud omnes pios magis persuasum, solidæ Virtutis parandæ vel tuendæ instrumentum, atque medium omnium præsentissimum esse, amorem, imitationem JESU Christi, & ejus Matris Pretiosissimæ; tantò mihi quidem pauciora scribenda, sed consideranti tamen in animum profundius efficaciusque demittenda, & ad praxim revocanda erunt:

Imitari Christum & amare, itémque Pretiosissimam Parentem, & omnis & solida virtus est. Nam & ille author, principium, Dominusque Virtutum est, & ista mare virtutum verè censetur. Utrumque ergo amare & imitari, non est virtutes habere, sed fontes atque authores, atque capita & maria virtutum possidere. Sed amandus atque imitandus est Christus, nec non Mater ejus MARIA; nec propter Virtutes, verùm propter ea, quia & MARIA digna est, & JESUS dignus, ut



ametur, ut imitatione mores utriusque exprimantur, & quia est hæc voluntas tam MARIE, quàm Christi, imprimis autem Sanctissimæ Trinitatis.

Amor Christi (item B. Virginis) si tener sit, bonus est; si rationalis, melior: si sublimis, longè melioribus optimus. Tenerum voco, qui, nescio quid, de sensu & mollitudine sensibili habet, amatque secundum carnem. Qui amor initio bonus est, neque etiam unquam prorsus evacuandus, attamen seponendus tandem ut plurimum est, & in spiritualement purè evehendus, ut dicere possimus: Cognovimus Christum Dominum carne, nunc autem jam non novimus, consequenter & non amamus. Et hunc rationalem voco, qui non tam ad exteriorem sensualémque Christi gratiam attendit, (quod proprium est illius teneri) quàm interiorém: quòd sit Homo - Deus, persona divina, Sanctus, plenus gratiâ Redemptor, Doctor Veritatis, Exemplar vitæ, Fons meritorum, Caput Ecclesiæ, Pater futuri sæculi &c. Quæ omnia, quia tantum rationali fide, & fideli ratione capiuntur, ideo amorem ex eis natum vocavi rationalem, qui haud dubiè perfectior est illo tenero amore. Sublimem voco eundem quidem ipsum rationalè, sed delectum, distinctè Christi intima noscentem; lumine, normâ, exemplo ejus viventem, non contentum enim & præceptis, sed consilia sectantem; & ea ipsa non quolibet & plebejo modo, sed perfecto, cui unica cura Christus, cogitatio vita Christi, studium gloria Christi, delectatio Contemptus Christi, divitiæ pau-



paupertas Christi, lucrum mors Christi, & pro Christo; cui labor prædicare Christum, & hunc Crucifixum, adimplere ea, quæ defunt Passioni Christi, & circumferre mortificationem ejus in corpore suo, eidem configi, & ejusdem Cruci, vivere jam non in se, sed in Christo & viventem in se habere Christum, idque totam ob unicam & solam gloriam & voluntatem Patris, vel SS. Trinitatis. Id ipsum proportionabiliter sentiendum est de amore B. Virginis, cujus quoque iisdem gradibus amor in nobis discerni & crescere noscitur, ita ut in quibusdam & aliquando fit paulò maturior, & reverentiâ admistus, similis illi, qui in adolescentulis filiis est erga Matres. Denique in quibusdam est planè maturus & excoctus, omnes in se complectens æstimationis & pietatis filialis in Matrem affectus & effectus: similis ei, quo adulti & maturi filii Matres amant. Sic enim & illi Dei Matrem honorant, ei obsequuntur; candore, simplicitate, fiducia, communicatione, plenitudine integerrimâ Matri Divinæ convivunt, atque cum ea tractant & conversantur, eamque diligunt tenerè sed defecatè; filialiter sed appretiativè; graviter & circumspectè, sed intimè & plenè fiducialiter, & liberè ac planè possessivè. Ad hunc amorem seu Christi, seu B. Virginis solidis virtutum sectatoribus aspirandum est, in eoque congruis exercitationibus, & pietatis affectibus atque actibus cor exercendum, & medium ponendum tamdiu, donec istiusmodi amor radices in mentibus eorum egerit, & veluti in naturalem (licet sit summè supernaturalis) consuetudine



dine transferit ; quos quidem affectus & actus , tum ex dictis considerans colligere , tum ex proprio usu , aliorumque tractationibus petere poterit.

De imitatione Christi brevius erit negotium explicare ; licet considerare , & re ipsâ imitationem hanc exercere , debeat esse longissimum , immò quotidianum atque perpetuum. Solidæ virtutis amator imitabitur Christum in duobus : in spiritu , quo venit , vixit , mortuus est ; & in modo , quo hæc ipsa præstitit. Spiritus Christi nullus alius fuit , quo in mundum venit , in mundo vixit , de mundo denique transiit , & quem in mundo reliquit , nisi facere voluntatem Dei , & evertere omnem voluntatem atque sapientiam mundi. Hoc quàm tota ejus vita , doctrina , mors clamet , luculentum satis est. Modus , quo prædicta omnia præstitit Christus , est ille , quem Apostolus expressit unico verbo. Exinanivit semetipsum. Quidquid Christus fecit , cum exinanitione suâ fecit , adeò , ut teste ipsomet , neque locum capitis reclinandi habuerit : adeò , ut etiam inter creaturas esse , moriendo morte turpissimâ , desierit ; & hæc omnia ideo , quia voluntas Patris ista fuit. Nihil opus pluribus tibi Religiose , qui solidus Virtutis esse sectator appetis. Vade , & tu fac similiter. Adjunge tibi triplicem illam JESU Societatem : paupertatem , contemptum , dolorem propter Dei voluntatem , quatum nullam Christus ad mortem usque demisit à se , sed ea perpetim in omni vitæ puncto comitatus incessit. Exinani temetipsum usque ad Exinanitionem illam ,  
quâ



quâ & Christus Dominus se se exinanivit : ubi hoc effeceris , sufficit tibi : his amplius fili mi ne requiras. Hæc est scientia , & imitatio Christi : Mundo per omnia contraire , Dei voluntati per omnia conformari ; Christum ad vivum & unguem , ut ajunt , sequi , per omnem ejus paupertatis , contemptuum , dolorum , exinanitionis plenitudinem. Decet enim capiti conforme esse membrum.

Virginis MARIÆ imitationem , mores ejus te docebunt ; si Christum fueris secutus , MARIAM imitaberis. MARIÆ namque spiritus & vivendi modus , fuit Christum sequi & illi ministrare. Itaque Christum sequi , Mariam imitari est , & vicissim Mariam imitari , sectari Christum est. Talis enim fuit MARIÆ vita , ut in ea velut in speculo reluceret omnis species & forma vitæ , atque mores IESU Christi ; quapropter unius imitatio , alterius est expressio.

Solidis in virtute , prædicta sufficient , sive illi jam sunt , sive adhuc esse volunt. Interim intueatur quisque nostrum , quantum absit , vel ab amoris , vel ab Imitationis Christi , ejusque Matris soliditate. Et certè si Christi Mariæque vita , vita quodammodo virtutis ipsius est ; itaque quantum à summitate vitæ Christi & MARIÆ abesse nos conspexerimus , tantum nos à summitate virtutis abesse ne dubitemus. Attamen ad summa conantibus , gloriosum erit in secundis consistere , dummodo faciat unusquisque , quod est in se. Quod an faciat , quare non faciat , quam nugatoriis nugis impediatur , ne faciat , viderit ipse : & cogitet , quomodo ex-



excusabilis erit apud Deum , qui excusabilis non est apud se.

## D I E S VI.

*De speciebus Virtutum Solidarum. 1. De tribus Votis Religiosorum. 2. De Fide, Spe, Charitate, Humilitate, Patientia. 3. De resignatione, fervore, Efficacitate, Perseverantia.*

## CONSIDERATIO XVI.

*De Virtutis soliditate in tribus Religionis Votis.*



Actenus generale tantum virtutis solidæ nomen perpetuò usurpavimus ; illius solidandæ, in soliditate conservandæ, locum, tempus, occasiones, media & instrumenta & exempla ad considerandum proposuimus. Jam sequitur, ut ipsas etiam particulares virtutum solidarum considerandas proferamus. Atque 1. loco in medium prodeunt, paupertas, Obedientia, castitas, non quia eæ sint omnium primæ, sed quia hæ sunt Religiosi statûs constitutrices. Constat enim, substantiam Religionis in Votis tribus, scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ consistere. Prima itaque solidæ Virtutis species est paupertas. Paupertas, inquam, spiritu, item re & veritate, quæ perinde nihil habeat, atque nihil amet seu cupiat,